


Johann Quistorp Casparus Staude

Disputatio Theologica, De Poenitentia

Rostochii: Richelius, 1666


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740046365>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 7. April 1666

Quistorp, Johann/6
Staude, Casp.



In nomine Jesu.

26.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
POENITENTIA,

Quam
Suffragiô & licentiâ R. Fac. Theolo-
gicæ Academiæ Rostochiensis,

PRÆSIDE

Viro pl. Reverendo atq; Excellentissimo
DN. D. JOHANNE QVISTORPIO,

Fac. Theol. Decano, Presbytero Ecclesiæ Dominicæ
vigilantissimo, Præceptore suo venerando,

*die VII. Aprilis, ab hora octava matutina,
in Auditorio magno,*

juvante DEO, publicè defendere
conabitur

*CASPARUS Staude / Hildesienfis,
S. Theol. Stud.*


Jeremiæ XXXI, 18.

Converte me, & convertar, quia tu es
Dominus Deus meus!



ROSTOCHII,

Typis Johannis Richelii, Senat. Typeogr:
Anno Christi MDCLXVI.





Iuste & misericors Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, ego miser peccator humillimè te rogo, per dilectum Filium tuum pro me crucifixum, per sudorem ejus sanguineum, per caput ejus coronam spineam sauciatum, per perfissum latus ejus, per pedes manusque ejus clavis transfixos, per faciem ejus colaphis caesam, sputo aspersam, per ineffabilem ejus moerorem animae, per omnia ejus sanctissima ac saluberrima nobis vulnera, per totam passionem ejus, per ejus ignominiosam mortem, ut velis mei misereri, omniumque peccatorum meorum non recordari, sed ut velis mihi esse propitius, meque per enormia peccata statu gratiae elapsam, tanquam filium prodigum revertentem (ejus namque imaginem in me prorsus agnosco,) recipere digneris. Fateor equidem me cum sancto Petro Apostolo te Deum meum abnegasse, sed sicut ille, postquam amarissimè flevit, gratiam tuam recuperavit, sic posteaquam me a me etià abnegationis serio poenituit, de clementissimam tuam indulgentiam nihil ego quoque despero. Quapropter confido, atque denuò saltim te rogo, respice in faciem Filii tui dilecti, audi Filium tuum dilectum à dextris tuis pro me intercedentem, meque propter eundem dilectum exaudi ita orare jussim: Pater noster, qui es in caelis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, quemadmodum in caelo, sic etiam in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos à malo, Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula! Amen.

THE-

THESIS I.

Homo renatus & fidelis statu gratiæ excidere potest.

I.



Robatio. Qui potest prolabi in ejusmodi peccata, quæ committentem excludunt regnò Dei, is potest excidere statu gratiæ. Atqui homo renatus & fidelis, potest perpetrare ejusmodi peccata, quæ committentem excludunt regnò Dei. Ergò homo renatus & fidelis potest excidere statu gratiæ. Major non potest negari. Nam committere peccata, quæ faciunt hominem excidere statu gratiæ, & tamen in statu gratiæ manere, sunt contradictoria. Jam verò contradictoriè oppositarum thesium sive propositionum hæc natura & lex est perpetua, ut unâ verâ semper falsa sit altera. probatâ igitur & verâ existente meâ thesi, falsam esse alteram, quâ statuitur: Hominem renatum & fidelem statu gratiæ excidere non posse, manifestum est.

II. Majorem meam porrò probo his Scripturæ dictis. Ezech. XIX, 24. ait Dominus ipse: *Cùm avertens se justus à justitia sua, fecit iniquitatem, secundum omnes abominationes, quas fecerit improbus, facit, hincine viveret? omnia justa facta ejus, quæ fecerit, non commemorabuntur, propter prævaricationem ipsius, quâ prævaricatur, & propter peccatum ipsius, quò peccat, propter hæc morietur.* Et iterum v. 26. *Cùm avertit se justus à justitia sua, & faciens iniquitatem, moritur in illis, propter iniquitatem suam, quam facit, moritur.*

III. Præterea etiam nec Deus hominem desideria carnis perficientem, quamdiu non in melius mutat vitam, pro amico & filio suo habere potest. Deficeret namq; hòc pactò ejus justitia, & deficiente justitiâ ipse Deus, quod est absurdum, cùm Deus sit æternus I. Tim. I, 17. *Regi eterno, incorruptibili, invisibili, soli sapienti Deo honor sit & gloria in secula seculorum.* Justus verò dicitur Ps. CXIX, 137. *Justus es, Domine, & justa judicia tua.*

IV. Minor est experientiæ. Erat Rex David *vir secundum cor Dei, sicut vocatur I. Sam. XIII, 14. Et observabat præcepta ejus, & sequebatur eum ex toto animo, faciendo tantummodò, quod rectum videbatur in*

oculis ejus, ut ipse Dominus testatur I. Reg. XIV, 8 & tamen hic tantus ac tam sanctus Rex non minùs homicidiò quàm adulteriò se obstrinxit, de quibus peccatis disertè ait Paulus Gal. V, 21. Quia talia agunt, non erunt heredes regni Dei. Atque hæc cum Davide ita se habent.

V. De Salomone verò ejus filio similiter legimus, quòd, quavis Deus ipsum tantò dignatus sit amore, ut ei bis apparuerit, I. Reg. XI, 9. & præterea sapientiam ultrà mortales omnes dederit, I. Reg. III, 12. nihilominùs à mulieribus alienigenis in senectute eò dementiae se perducì passus sit, ut peregrinis simulacris immolaret. I. Reg. XI. Idololatria verò peccatum est tam grave, ut hominem privet regnò Dei, sicut Paulus expressè docet I. Cor. VI, 9. *Ne errate, neque scortatores, neque cultores simulacrorum, neque adulteri, neque molles, neque qui concumbunt cum masculis, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regni Dei hereditatem accipient.* Atque hæc de Salomone invenimus literis consignata.

VI. Sed nec prætereundus hic est S. Petrus Apostolus, qui licet fuerit non tantùm non Apostolorum minimus, sed etiam non dubitaverit insolenter dicere: *Etsi omnes offendiculum passi fuerint tuâ causâ, ego tamen nunquam offendiculum patiar,* Matth. XXVI, 33. quin verbis statim subsequentibus Servatori fidem suam cum mortis periculo contestatur, *etiamsi, inquam, oportuerit me mori tecum, non te negabo;* & tamen Christum Dominum ter abnegavit, ut docetur eòdem capite. Jam verò de abnegatione sui ipse Servator ita pronuntiat: *Quisquis nega: erit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo qui est in cælis,* Matth. X, 33. Videmus igitur etiam hujus tanti Apostoli exemplò, hominem non tantùm per fidem stantem, sed comiter etiam cum ipso Christo conversantem, atque dulcissimò ejus colloquiò perfruentem cadere, adeoque statu gratiæ excidere posse.

VII. Pro confirmandâ ulterius sententiâ nostrâ allegamus etiam hæc verba Apostoli Pauli Rom. XI, 19 20 & seqq. *Dices igitur: Defructi sunt rami, ut ego insererer. Bene dices: per incredulitatem defructi sunt, tu verò fide constitisti: ne effevaris animò, sed timeas. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, ne quâ fiat ut nec tibi parcat. Vide igitur bonitatem ac severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te verò bonitatem, si permanseris in bonitate: alioqui & tu excideris.* Hæc verba

verba primò tale nobis suppeditant argumentum: Qui ceciderunt, illi possunt cadere. Sed qui initiò steterunt, deinde ceciderunt. Ergò qui initiò steterunt, potuerunt cadere. Major patet ex terminis, nam ab actu ad potentiam valet consequentia. Minor probatur, quia expressè dicit Paulus Judæos cecidisse. *Vide, ait, severitatem in eos qui ceciderunt.* Cadere verò supponit stare, nec aliquis cecidisse testè dici potest, qui nunquam stetit.

VIII. Secundò possumus & tale ex iis conficere argumentum. Cui dictum est à Paulo: Tu per fidem stas, ne effertor animò, sed metue; ille potest cadere. Atqui cuivis fideli dictum est à Paulo: Tu per fidem stas, ne effertor animò, sed metue. Ergò quivis fidelis potest cadere. Major satis est manifesta. Nisi enim homo fidelis posset cadere, frustra is ab Apostolo admoneretur proclivitatæ suæ ad lapsum, quod verò de illo utpote *ὁ πρῶτος ἀγὼς φεραμῆς* dici nequit. Minor probatur ex allegatis Pauli verbis.

IX. Tertiò denique ex iisdem ita argumentor: Qui ita sunt insiti Christo, ut vicissim possint excidi, illi possunt prolabi in peccata mortalia. Atqui per fidem stantes ita sunt insiti Christo, ut vicissim possint excidi. Ergò per fidem stantes possunt prolabi in peccata mortalia. Major probatur: per nihil enim aliud, quàm per peccata mortalia quis exciditur. Minorem probo his S. Pauli verbis: *Vide in te bonitatem, si permanseris in bonitate: alioqui & tu excideris.* Et paulò post: *Vide ne tibi quoque non parcat Deus.*

X. Sed licet vel hæc modò allata exempla satis superq; testentur, renatos posse excidere statu gratiæ, placet tamen adhuc unicum proferre, ut eò magis constet, quàm lubrica sic via fidelium stantium. Quem suprà induxi alios adhortatem Paulum Apostolum, usque ad eò quidem apud Deum in gratia fuit, ut *organum Dei electum, ut portet nomen ejus coram gentibus, & regibus, ac filius Israhel*, sit vocatus Actor. IX, 15, ut *in tertium usq; cælum & paradysum ipsum raptus audiverit arcana verba, qua fas non sit homini loqui, non ex promiscua fidelium turba, sed magnus gentium doctor* erat, I. Timot. II, 7. cui adeò hodiè nemo se conferre, multò minùs præferre audet; & tamen *subjicere se corpus suum, & in servitutem redigere dicit, ne quo modo fiat, ut quum aliis predicaret, ipse reprobus efficiatur*, I. Cor. IX. ult. Quæ igitur verba, ut & ex-

empla paulò antè ex scripturis adducta considerans S. Hieronymus Epist. IX. Ad Salviam ait: *Si ille timet, quis nostrum potest esse securus? Si David amicus Domini, & Salomon amabilis ejus victi sunt quasi homines, ut & ruina nobis ad cautionem & penitudinis ad salutem exempla praberent, quis in lubricâ viâ lapsus non metuat?* Hinc S. Paulus iterum graviter sic admonet: *Qui sibi videtur stare, videat ne cadat.* I. Cor. X, 12. Et Phil. II, 12. *Cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Hinc etiam ad hunc locum Chrysostomus: *Artifex etiam si peritus sit & valdè solers, cum timore tamen & tremore stat, metuens, ne ab edificio decidat. Et tu credidisti, multa bona fecisti, in sublime ascendisti, cautè te ipsum continebis & cum timore stabis, oculumque vigilantem habebis, ne inde decidas, sunt enim multæ nequitie spirituales, quæ te dejicere conantur.* Jam verò, si renati statum gratiæ amittere non possent, omnes illæ admonitiones frustra essent, quod certè nemo concedet. Relinquitur ergò, homines renatos omninò posse statu gratiæ excidere.

THESIS II.

Homo lapsus, qui statu gratiæ excidit, in peccatis suis non debet desperare.

I.

PROBATIO. Primò id probatur dictis scripturæ Vet. Test. quæ omnibus peccatoribus sine discrimine veniam delictorum promittunt, si convertantur & emendentur. Sic scriptum est Esa. I, 16. *Si peccata vestra fuerint ut coccus, nive reddentur albiora; si rubuerint instar purpura, sicut nativa lana sient.* Eccl. LV, 6. *Querite Dominum dum invenitur, invocate eum, dum propinquus est: derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multiplicabit ad parcendum.* Vulgata habet: *Multus est ad ignoscendum.* In hoc multo, ait Fulgentius epist. ad Venantiam de recta pœnitentia cap. IV. *nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors. Tanta est autem & benignitas omnipotentie & omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil sit, quod nolit, aut non possit relaxare converso.* Ezech. XVIII, 21. *Cum improbus conversus ab omnibus peccatis suis, quæ fecit, observabit omnia statuta mea, & exercebit jus & justitiam, omninò vivet & non morietur.* Joel. cap. II, vers. 12. *Convertimini ad me ex toto animo vestro, & jejunio, & fletu, & planctu.* *Lacerate igitur*

te igitur corda vestra, ac non vestes vestras, & revertimini ad Jehovam Deum vestrum; quia graciosus & misericors est, longanimis & amplius benignitate, & quem pœnitent mali. Zach. I, 3. Revertimini ad me, dicitum Jehova exercituum, & revertar ad vos, ait Jehova exercituum.

II. Idem probatur dictis scripturæ Nov. Test. Luc. XXIII. 34. orat Christus pro ipsis interfectoribus suis, undè patet, quàm seriò velit omnes homines salvari. Pater, ait, remitte illis, nesciunt enim quid faciant. Joh. III, 16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Rom. VIII, 26. ipse Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Rom. VIII, 33. 34. Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat. Quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. I. Joh. I, 7. Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. I. Joh. II, 1. 2. Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Hebr. XII, 24. Sanguis ille dicitur potius loqui, quàm loquatur sanguis Abel. Nam sanguis Abel vindictam in clamabat; at sanguis Christi misericordiam & remissionem peccatorum impetrat. Quid tandem Ezech. XXXIII, 11. adhibito juramento Dominus pœnitentibus veniam pollicetur. Ne vivam ego, inquit, si delector morte impij, sed quum revertitur improbus à via sua ut vivat; Revertimini, revertimini à viis vestris, pessimis; cur enim moriemini domus Israel. Unde Tertullianus libro de pœnitentia cap. 4. sic exclamat: O beatos nos, quorum causa Deus jurat! O miserimos, si nec juranti Domino credimus! Primasius ad cap. VI. epistolæ ad Hebræos: Si promittente Deo, iniquum est non credere, quàm impium est Deo jurante, fidem non accommodare?

III. Deinde manifesta ejus rei exempla ex utroque Testamento sunt in promptu. David quum adulterium & homicidium perpetrasset, veniam à Deo consecutus est. Quum enim pœnitentiã ductus diceret: Peccavi in Dominum, statim audivit à Nathane Propheta: Dominus quoq; amovit peccatum tuum, II. Sam. XII, 13. Quidni igitur hodieq; peccator Davidis pœnitentiam imitatus veniam à divina bonitate obtineat? Hinc quum Theodosius M. Imperator ex ira septem
millia

millia Thessalonicensium ob dejectam uxoris suæ statuam occidisset, & hoc nomine correptus ab Ambrosio Davidem quoque cæde Uriæ peccasse causaretur, respondit Ambrosius: *Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem, sicut testatur Paulinus in vita Ambrosii.*

IV. S. Petrus Magistrum & Servatorem suum abnegarat, nec minus tamen, quum resipisceret, gratiam recuperavit, imò, quod magis mirum, etiam in pristinum Apostolatus locum à Christo est restitutus. Hinc cita S. Chrysostomus in Psalm. L. homilia II. *Ne mihi dicas, blasphemus sum, persecutor sum, impurus sum. Habes omnium horum exempla. Ad quem voles portum, confuge. Vis in V. Test. Davidem habes. Vis in Novo? Saulum. Ne tergiverferis, ne cuncteris. Peccasti? Pœnitentiam age, ποελάχις ἡμάρτις, ποελάχις μετανοήσων, millies peccasti, millies pœnitentiam age: millies pœnitentiam egisti; etiam adhuc pœnitentiam age.*

V. Non quidem defuerunt olim, qui hanc Chrysostomi vocem veluti quoddam intemperantiæ & effrænis licentiæ seminarium damnarent. In eis Socrates Constantinopolitanus lib. VI. historiæ Ecclesiasticæ cap. XXI. de eâ scribit hunc in modum: *Subit mihi admiratio, quomodo Johannes, quum tantum temperantiæ zelum exercuerit, temperantiam in homiliis suis contemnere docuerit. Quum enim unica tantum esset à Synodo Episcoporum lapsis data pœnitentia, ausus est ipse dicere: Etiam qui millies pœnitentiam egisti, accede: propter quam doctrinam ab amicis quoque damnabatur, maxime à Sisinnio Novatianorum Episcopo: qui librum contra hoc dictum conscripsit, & ob id illi fortiter resistit. Hæc Socrates: quem verò haud dubium est fuisse Novatianum, ac propterea unâ cum suo Episcopo offensum esse Chrysostomi dictis. Eadem hæc Isaicius Episcopus Chrysostomo objiciebat. Vide Photium Cod. LIX.*

VI. Sed occurrendum huic errori sic est, S. Chrysostomum ita differentem non respicere ad illam solennem & publicam pœnitentiam, quam Synodica decreta semel tantum lapsis concesserunt, sed ad privatam, singularem & secretam pœnitentiam, quæ coram Deo unicuique peccanti necessaria est; hanc millies peccanti millies in remedium offert Chrysostomus, non ut iis materiam præbeat intemperantis licentiæ, sed ut eos ab omni desperandi occasione avocet, & deploratissimum quemque peccatorem ad pœnitentiam excitet, quod &

quod & ipsemet in eadem homilia, post prædicta verba planè declarat, sic addens: *Hæc dico, non ut negligentes vos, faciam, sed ut ad fidem vos salutaris expectationis adducam; ne umquam desperetis de vobis, sed semper de Dei misericordia confidatis: desperandum enim de illo tantum est, qui de seipso desperavit.*

VII. Præter allegata dicta atque exempla, non parùm etiam erigere atque solari poterant homines graviter lapsos hæc ipsius Christi verba, quando ait Luc. XV, 7. *Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super uno peccatore resipiscente, magis quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.* Tertullianus lib. de pœnitentiâ Cap. VIII. peccatorem quemcunqve ita affatur: *Latantur cæli, & qui illic Angeli pœnitentiâ hominis. Heus tu peccator, bonò animò sis: vides ubi de tuo reditu gaudeatur.* Et rursus: *illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, & post inopiam pœnitentem libens suscipit, immolat vitulum præcipuum, convivio gaudium suum exornat. Quidni? filiam enim invenerat, quem amiserat, chariorem senserat, quem lucrificerat. Quis ille nobis intelligendus pater? Deus scilicet. Tam pater nemo, tam pius nemo. Is ergò te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegerit, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti, magisque de regressu tuo, quàm de alterius sobrietate latabitur. Sed si pœniteas ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquant pecus, si patrem repetas vel offensum, deliqui, dicens, pater, nec dignus ego jam vocari filius tuus.* Hactenus Tertullianus.

VIII. Basilii M. Novatianos, qui negabant lapsis veniam esse concedendam, sic confutat homiliâ de pœnitentiâ: *Rogemus Servatorem, quare ad nos venisti? respondebit: Non veni servare iustos, sed peccatores vocaturus ad pœnitentiam: Scis utemur ab ipso, quid portas in humeris? ovem, inquit, perditam. Cujus gratiâ gaudent, qui in cælis sunt? Ulius peccatoris, inquit, pœnitentiâ gratiâ. Angeli latantur, & tu pœnitentiâ hanc invides letitiâ? Deus illum cum gaudio complectitur, & tu hoc prohibes?* S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIX. ἡ δὲ τὸ σὺν χαίρει ἡδὲ, ὅτι ἀνθρώπων διὰ τὴν ἁμαρτίαν καὶ σωτηρίαν. Nullâ re perinde Deus delectatur, ut hominis resipiscentiâ & salute. S. Fulgentius epist. VII. ad Venantiam: *Deus noster sic est misericors & bonus, sicut infinitus est & invictus. Proinde bonitas invicti non vincitur, & infiniti misericordia non finitur.* Chryso-
B stomus

stomus homil. III. de poenitentia. *Tua malitia quaecumque fuerit, humana malitia est: Dei clementia & pietas est incircumscripta: ipsa igitur tuam malitiam superat. Cogita scintillam, si in mare ceciderit, num poterit stare aut apparere? Quantum scintilla ad mare se habet, tantum hominis malitia ad Dei clementiam pietatemque, imò verò non tantum modo, sed & longè supra. Nam & pelagus, tametsi magnum sit, mensuram recipit: Dei verò clementia & pietas mensuram non habet.*

IX. S. Augustinus tract. XXIIIX. in Johan, *Quid converso non ignoscitur, si fusus Christi sanguis ignoscitur? S. Anselmus Cantuariensis in meditationibus suis: Terret me vita mea. Namque diligenter discussa, apparet mihi aut peccatum aut sterilitas tota vita mea, & si quis fructus in ea videtur, sic est aut simulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, ut possit aut non placere, aut displicere Deo. Certè tota aut in peccato est, & damnabilis, aut infructuosa & contemptibilis: Sed quid separo infructuosam à damnabili? utique si est infructuosa, est damnabilis: omnis enim arbor, quae non facit fructum bonum, ponetur. Tadet animum meam vita mea, vivere erubesci, mori pertimesco. Quid ergò restat, ó peccator, nisi ut in tota à vità tuà deploras totam vitam tuam? sed in hoc quoque est miserabiliter miserabilis, quia non tantum dolet, quantum senescit, sed securus torpet, quid patiatur, ignomi. O lignum aridum & inutile, aeternis ignibus dignum! Quid respondebis in illa die, cum exegerit à te usque ad istam oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter à te fuerit expensum? O angustia! hinc erunt peccata accusantia, inde terrenis justitia: subitus patens horrendum chaos inferni, desuper iratus iudex: Intus conscientia urens, foris mundus ardens. Vix justus salvabitur. Peccator sic deprehensus in quam partem se premet? latere erit impossibile, apparere intolerabile: Unde mihi consilium? unde salus? Quis est qui dicitur magni consilij angelus? Ipse Jesus, idem est iudex, inter cuius manus tremo. Respira, ó peccator, ne desperes, spera in eo quem times; refuge ad eum, à quo aufugisti: Invoca opportunè quem superbe provocasti; Jesu Christe propter hoc nomen tuum fac mihi secundum hoc nomen tuum, obliviscere superbum provocantem, respice miserum invocantem. Nomen dulce, nomen delectabile & beata spei. Ergò Jesu, esto mihi Jesus propter nomen tuum, miserere dum tempus est miserendi, ne damnes in tempore judicandi. Si me ad miseris intra latissimum sinum misericordia tua, non eris angustior propter me, Domine. Admitte me ergò*

intra

intra numerum electorum tuorum, ut cum illis te laudem, te perfruar & glori-
er inter omnes diligentes nomen tuum. Hactenus Anselmus.

X. Hac & similia probè considerans unusquisque peccator hinc
perspicit, paratam sibi esse apud Deum delictorum veniam, si saltim
de iis agat poenitentiam. Quocirca confugiat ad vulnera Christi, tan-
quam ad asylum, & dicat cum S. Bernhardo ex Serm. ejus LXI. super
cantica: *Ubi tuta firmaque infirmis securitas, & requies, nisi in vulneribus
Salvatoris? tantò illic securior habitio, quantò ille potentior est ad salvan-
dum. Eremit mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur, non cado: funda-
tus enim sum super firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbatur con-
scientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor: nem-
pe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod
non Christi morte salvetur? Justinus Martyr Apologiâ II. Ἡ δὲ οὐκ ἐπιπέ-
νη ἔργων τῶν μετανοίας ἔσται ἀμνηστία, ἢ τὴν κέλευσιν αὐτῶν. Ma-
vult pater celestis peccatoris poenitentiam, quàm poenam.*

THESIS III.

Partes poenitentiae duae sunt, contritio & fides.

I.

Probatio. Qui seriò dolet de commissis peccatis, & fiduciam ve-
niae impetrandae in meritò Christi collat, is duos tantùm actus
facit poenitentiae. Atqvi verus poenitens seriò dolet de commissis
peccatis, & fiduciam veniae impetrandae in merito Christi collocat.
Ergò verus poenitens duos tantùm actus facit poenitentiae. Major
manifesta est ex terminis. Minor probatur: Qui consecutus est re-
missionem peccatorum, eum necesse est seriò doluisse de peccatis, &
fiduciam veniae impetrandae in merito Christi collocasse. Atqvi Rex
David, & S. Petrus Apostolus, & latro in cruce consecuti sunt remis-
sionem peccatorum. Ergò Davidem, Petrum, latronem necesse est
seriò doluisse de peccatis, & fiduciam veniae impetrandae in merito
Christi collocasse. Majorem nemo negabit: implicat enim, remis-
sionem peccatorum consequi, & tamen non rectè egisse poenitentiam,
siquidem unicum poenitentia illud est medium, quò veniam à Deo im-
petramus. Minor ex Scripturis est nota. Manet igitur, quòd plures
duabus non dentur partes poenitentiae.

II. Contritionem verò esse partem poenitentiae sic probò: Si-

B 2

ne quo

ne quoque poenitentia nec esse nec concipi potest, illud est pars essentialis poenitentiae. Atque sine contritione poenitentia nec esse nec concipi potest. Ergo contritio est pars essentialis poenitentiae. Major patet: implicat enim peccatorem poenitentiam agere alicujus delicti, quod nec agnoscat, nec improbet, aut commissum esse doleat. Chrysostomus in Psal. L: *Peccata tua in libro scripta sunt: Spongia autem instar sunt lacrymae tuae. Lacrymas mitte: & oblitterabuntur. Lacrymas mitte, & purus illic liber inuenietur.*

III. Ne autem quis existimet solam contritionem rem conficere, ut non habeat conjunctam fiduciam obtinendae remissionis peccatorum, sed fidem quoque esse partem poenitentiae, sic arguuntur: Quodcumque est complementum & ultima perfectio poenitentiae, id est pars poenitentiae. Sed fides est complementum & ultima perfectio poenitentiae. Ergo fides est pars poenitentiae. Major per se est evidens. Minor etiam patet, quia fides contritionem sequitur & eam perficit, ut sit salutaris. Atque ita constat, quot & quanam sint partes poenitentiae. Nova vero obedientia non tam pars est, quam fructus poenitentiae, juxta illud Matth. III, 8. *Facite fructus, qui deceant poenitentiam.*

THESIS IV.

Poenitentia in universum est triplex.

I.

PROBATIO. Prima est eorum, qui primum ad fidem Christianam convertuntur, baptizantur & Christianismum suscipiunt. De hac loquitur scriptura Act. II, 38. *Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU CHRISTI in remissionem peccatorum.* Hinc qui à Johanne baptizabantur, confitebantur peccata sua, Matth. III, 6.

II. Secunda est fidelium stantium, seu eorum, qui quidem non deliberatò & per contumaciam peccant, sed ex infirmitate identidem impingunt. Ab his igitur quoque requiritur, ut quotidianos suos naevos quotidie agnoscant, & illorum etiam remissionem Deum orent. Hinc ipse Servator hanc quotidianam poenitentiam fidelibus suis jungit, dum eos quotidie orare jubet: *Dimitte nobis debita nostra.* Neque est, quòd quis existimet, peccata illa, quæ renati ex infirmitate committunt,

committunt, adeò levia esse, ut deprecatione & pœnitentiâ non indigere videantur. S. Augustinus graviter sic admonet Tract. I. in epist. I. Johannis: *Ista levia, quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis, quando appendis, expavesce, quando numeras. Levìa multa faciunt unum grande. Multa guttæ implent flumen: multa grana faciunt massam.* Et epist. CIX. *Quæ (peccata leviora) si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur, & obruatur; an paulatim subrepens aqua insentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat?* hætenus ille. Interim si quotidianam illam pœnitentiã non negligamus, si quotidie deprecemur quotidianas illas hallucinationes, Deus eas nobis æquè non imputat, ac si illarum planè essemus immunes. Nam sicut pater miseretur filiorum, miseretur Dominus timentium ipsum, ait David Psal. CIII, 13. At pater lubenter liberis condonat, quæ ex puerili ignorantia, vel infirmitate committunt, dummodò ea agnoscant & deprecantur. Hinc S. Augustinus cap. LXX. Enchiridii ad Laurentium: *De quotidianis brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. — Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata.* Iterum Augustinus Serm. XII. de diversis, Cap. X. *Quotidiana nostra mundatio Dominica oratio.*

III. Tertia pœnitentia est fidelium lapsorum, seu eorum, qui cum Christiani jam facti & baptizati essent, in graviora peccata prolapsi statu gratiæ exciderunt. De hæc loquitur Paulus II. Cor. VII, 9: *Nunc gaudeo, non quòd contristati fueritis, sed quòd contristati sitis ad pœnitentiã.* Et rursus versu 10. *Nam qui secundum Deum est dolor, is pœnitentiã ad salutem baud pœnitendam parit.* Et Apocal. II, 4. *Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiã, & prima opera fac: sin minus, veniam tibi citò, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi resipueris.* Inter has duas posteriores pœnitentiæ species discrimen aliquod cum Augustino agnovit etiam Ambrosius, quando lib. II. de pœnitentiã Cap. X. sic scribit: *Sicut unum baptisma, ita una pœnitentiã, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati: sed hæc delictorum leviorum; illa graviorum.*

THESIS V. & ultima.

*Notorius & scandalosus peccator plura sortitur
fora quàm unum.*

I.

Probatio. Qui grande aliquod & notorium delictum commisit, Deum, Ecclesiam, rempublicam & proximum offendit, ac proinde totidem sortitur fora, divinum, ecclesiasticum, civile & privatum. Unde etiam satisfactio uni præstita præjudicare non potest aliis, quin ipsa quoque sibi satisfieri jure exigant. Verbi gratia: interfecerit quis patrem suum, & cum interfecto in gratiam redierit & veniam impetraverit; Ista reconciliatio non impedit, quò minus in parricidam Deo, Ecclesiæ & reipublicæ, jus suum maneat integrum. Sit porro idem conciliatus Deo per veram poenitentiam, hoc ipsum nequiquam efficit, quin à civili magistrati puniri possit. Denique condonet pater, condonet magistratus, & per veram poenitentiam reus à Deo remissionem obtinuerit; nihilominus propter offensionem & datum publicè scandalum, haud prohibetur ecclesia publicam poenitentiam, & poenas canonicas ipsi imponere.

II. Si autem quæretur, num poenitentes illi (inter quos in primitiva ecclesia homicidam viginti annis: perjuram undecim annis: adulterum quindecim annis: fornicatorem septem annis: furem duobus annis: CHRISTUM abnegantes toto vita sua tempore publicam agere poenitentiam oportebat, sicuti constat ex Basilii Magni epistola ad Amphilochium Can: LVI.) tamdiu reconciliatione cum DEO caruerint, quam diu communionem ecclesiasticam fuerunt exclusi, respondemus, quòd non. Quando enim homo de lægno suo delicto seriò dolet, removeretur illud impedimentum, quòd hætenus obsticit, quò minus DEO tanquam propitiòsistere poterit. Remoto autem illo obstaculo, redit vera & viva fides, quæ jaacentem rursus erigit, & de impetrandâ per Christi meritum à Patre misericordiarum peccati veniam certum reddit. Sicigitur statim pristinam gratiam recuperat. Interim hæc reconciliatio cum Deo facta non obstat, quò minus ecclesiæ competat adhuc suum jus. Sed hæc hætenus.

III. Quoniam verò errorem omnem, utut minus fundamentalem

talem vitare debemus sedulo, nemo propterea mihi vitio verter, quod etiam hic à me ostendatur, maximopere hodiernam Pontificiorum poenitentiam à genuinà & prisca (quemadmodum illa apud scriptores Ecclesiasticos memoratur,) differre. primò enim olim publicè poenitentia peragebatur, quod exemplò Theodosii Magni probari potest, qui publicam sibi ab Ambrosio poenitentiam injungi passus est, ut Theodoretus lib. V. histor. Eccles. cap. XVI. & XVII. testatur. Ipse Ambrosius oratione in obitu Imperatoris habità, ita eà de re scribit: *Dilexi virum, qui magis arguentem, quàm adulantem probaret: stravit omne, quo utebatur, insigne regium: desivit in ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat; gemitu & lacrymis omniviam veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit Imperator publicè agere poenitentiam: neq, ullus postea dies fuit, quò non illum doleret errorem.* Hæc Ambrosius.

IV. Non dissimilem huic egisse poenitentiam Suenomen Daniæ Regem, Saxo Grammaticus scriptum reliquit libro XI. Historiæ Daniæ, quò, quia memoratu digna ibidem leguntur, benevolam lectorem remittimus. Caterùm cum laudatus Autor non sit in manibus omnium, ac præterea non minùs verè quàm præclare de homicidio pariter ac poenitentia publica Svenonis scripserit, nonnulla ex eo excerptare visum fuit. Verba Autoris loco citato hæc sunt: *Ipse namque sacro circumcisionis pervigilio solenni magnatum convivio feriatius, cum quorundam principum clandestinà obrectatione parum honoratè de se habitum comperisset sermonem, occultam eorum perfidiam temulentia lascivitis detectam existimans, ira aculeis actus, misit qui ipsos matutino tempore intra Trinitatis eadem (Haffnia) oraturos confoderent, tanquam in sacris penetrabilibus aprissimis humanarum cladium locus existeret. Itaq, actum erga convivas facinus sacrilegio duplicavit, ipsumq, pietatis domicilium crudelitatis officinam effecit, neque loci, aut temporis, quo minùs cupiditati indulgeret, respectum habuit. Quam rem Antistes, templi (ut par erat) violatione permotus, imprimis dissimulante excepit, neque indignationem suam ulla ex parte stipatoribus patefecit, opportuno vindictam tempore prebiturus. Nam quàm rem divinam pontificali more peragere debuisset, non solum adventantem Regem occurrendi veneratione excipere supersevit, sed etiam sacrarium subire commissum, à primis ejus liminibus absq, respectu familiaritatis, sacerdotii insi-*

atque insignibus ornatus, baculo, quo utebatur, excussit, sacrorum penatium —
aditu indignum judicans, quorum religionem non sine gravi pacis rubore ci-
vili sanguine maculasset, suppressoque dignitatis nomine non Regem eum, sed
humani cruoris carnificem appellabat. Nec reum objurgasse contentus, acu-
leum virgæ ejus pectori infixit, armatumque duritia animum imperati parrici-
dij pœnitere perdocuit. — Quamobrem infesto militum concursu peti-
tus, (sacerdos sive episcopus Sveno) applicatos cervici suo gladios animi fir-
mitate contempsit, tantumque se in despicendis periculis gessit, quantum egerat
in provocandis. — Cujus Rex inhibita nece, quum eum non temeraria of-
fensa, sed publicæ severitatis fiducia concitatum animadverteret, conscientie
rubore perfusus, scelerisque quàm repulsæ pudore egrior, continuo regiam repe-
tit, quietamque frontem contumeliosè correptus exhibuit, nec ipsa quidem ge-
nerose indignationis verba invitus audivit. Deinde regiâ veste depositâ ob-
soletam accepit, mœroremque deformitate cultus, quàm splendore contumaciam
testari maluit. — Sed abjectis regiæ majestatis insignibus, insigne pœnitenti-
æ sagulum sumpsit. Quin etiam simul cum veste potentiam exiit, atque
ex sacrilego tyranno fidus sacrorum venerator evasit. Siquidem nudatis pe-
dibus ad atrium regressus, in ejus se aditu prostravit, terramque suppliciter oscu-
latus, dolorem qui ex contumelia acerrimus infligi solet, verecundia ac mo-
deratione compressit. Paulò post ita pergit Autor: Igitur cessato cantu,
cleroque conticere jussu, fores repetens, (Episcopus) quum Regem, quid ita
se gereret, percontatus fuisset, atque ille criminis confessione facta, religioni
se se satisfacturum promittens, sacerdotalis subsidij veniam postulasset, conti-
nuò execratione remissâ jacentem amplexus, abstergis lacrymis, depositisque do-
loris insignibus, & cultum & animum Regium resumere jussit, non licere inqui-
ens privatam mœrorem publicis interesse tripudiis &c. Hactenus verba Sa-
xonis, hodiè apud Pontificios privatim præstantur injuncta opera pœ-
nitentiæ, quæ vocant jejunia, preces, elemosynæ. Secundò, pœ-
nitens cum Ecclesia olim non conciliabatur, nisi injunctâ pœnitentiâ
prius præstitâ. At Pontificii imponunt satisfactiones, post absolutionem
jam factâ. Tertiò, veteres propterea olim satisfactiones lapsis impone-
bant, ut Ecclesiæ notoriis delictis turbatæ satisfaceret, & scandalum ab
ea amoveretur; At Pontificii hodiè longè aliâ fini satisfactiones pœ-
nitentibus injungunt. Nempe quia statunt, post remissam culpam &
pœnam æternam, adhuc pœnam temporalem luendam remanere, vo-
lunt,

lunt, ut per ejusmodi satisfactiones justitiæ divinæ ex condigno secundum æqualitatem aliquam satisfiat. Quarto, olim publica pœnitentia non nisi semel peragebatur. Interim tamen recidivam passos in æternum perire non statuebant, sed eos divinæ misericordiæ commendabant. Vide Ambrosium lib. II. de pœnitentia Cap. X. De pœnitendi modo publicè in primitivâ Ecclesia uberiores informationem subministrabant Chemnit. in Exam. Conc. Trid. de pœnit. & Ritus Cathol. orth. Tract. 2 quæst. 12.

V. Atque has tandem hæc quidem vice theses de præsentia materiâ conscripsisse sufficiat, quoniam plura persequi tum sumptus, tum festinatio prohibet. Quare nihil jam restat, quàm ut Deo gratias agam immortales pro concessâ suâ Gratiâ, quæ mihi in hoc arduo studiorum genere non defuit. Faxit is porro clementissimè, ut hic & reliqui labores mei cedant in nominis sui Divini gloriam, Ecclesiæ emolumentum, in meam & proximi salutem æternam. Propter Filium tuum unigenitum, propter cruentam ejus passionem & mortem ô Domine ita precor, quapropter mei misere meque exaudi. Amen.

Tantum per Dei gratiam.



Ad lectorem Christianum.

Dicta Scriptura in hac disputatione citata sunt juxta editionem Germanicam Lunaburgæ à Sterniis anno M D CLX. impressam. Omnia boni queso consule. Vale.

☞) :01 (☞

C



PŒNITET exiguâ retinemus voce salu-
tem,
Si fuerit fidei, sit quoque juncta Deo.
PŒNITET informans, vivisq; coloribus u-
sum
Ostendens, Domino Tu quoque jun-
ctus eris.

*Doctissimo Dn. Respondenti
amico raro & charo*

properanter gratulabatur

*Johannes Wittmannus,
Korossio-Pannonius.*



Dabel wird der Baum geehrt/ welcher keine Früchte bringet:
Wann die Lerche nicht erhebt ihre Stimme/ wann sie springet
in dem Futter-reichen Kerker/ solte man doch ihren Fleiß/
wie der Amsel süßes pfeiffen/ höchlich rühmen? Nein: Den
Preis
Mus nur haben dieses Thier/ wo man nach Gebühr wil handeln/
Dessen Singen uns ergest. Werther STAUDI ewer wandeln/
fürchtet jenes Spruches sagen/ drum ist es ikund bereit
Blüthe mit dem Palm zu gehen in des Frühlings grüner Zeie
Dieser

Dieser Lerche gleich zu seyn achter ihr für eine Schande/
Derwegen hebt an hier in diesem Rosen-Sande
eure Zunge fein zu spielen von der wahren Christen Kew.
Weil dem so/ so könt ihr eilends treten ohne alle schew
Auf der hohen Künste Thron/ daß man Euch da Lob erweise/
Daß man euren Buß-Gesang nechst den güldnen Sternen preise.
Ich wil nicht sein von den Letzten/ die Euch werden Himmel
an
Durch das Wörter-prangen führen; haltet Euch nur als
ein Mann.

Joachimus Schönholz/
S. S. Th. Stud. March.

Den Fleiß alhie beweist Herr STAUDIUS mit
Lobe/
Weil Ihn sein Werck selbst preist/ als wir hie seh'n
die Probe/
Ich lobe diesen Fleiß/ und wünsche Glück und
Stärck/
Daß Ihr/ mit fernerm Preis/vollbringet gute
Werck.

Seinem Vielgeehrten guten Freunde
setzt dieses

David Gray, SS. Th. Stud.
Barson. Livonus.

Hactenus in castris Sophia versatus abundè es
STAUDI, nunc meritò te comitatur bonos.
C 2 Perge

Perge quoq; in reliquum Sacris instare Camænis,
Miles & Eusebius castra verenda sequi:
Sic pergas, fausto succedant alite cuncta,
Sic patria tibi Laus surget & omnis honos.

Hæc amicitiam & amorem suum
testaturus scribebat

Joachimus Mollius,
Ditfurto-Quedlinburg.



Non sermo ambiguus, non vita nescius error,
Non exempla movent Te statione boni.
Cura Dei cura, generosumq; illud honestum
EST TIBI, nec recti flectere calle viam.
Quæ proprio deprompta sinu, moderante Jehova,
In lucem profers, themata docta probant.
Ausonio tua labra polis sermone, Pelasgo
Hebraoq; favet Musa benigna TIBI.
Charta vel ista tuos clamabit sola labores,
Utq; sit, efficiet, notus ab ungue leo.

Exiguus hisce Eximio ac Præstantissimo
Domino Respondenti,
Populari atq; amico suo
singulariter dilecto
gratificari voluit,
debuît

Conradus Metzeler,
Hildesiâ Saxo, LL. Stud.
S wol

Soldem/ welcher hie sein Herz zur Busse len-
cket/
Und an die Gnaden-Thür des grossen **GOTT**es
dencket/

Der bengesprungen uns/ da wir im Blute lagn
Wie ein krafft-loses Kind/ das neulich in den Tag
Die Lebens-Lufft geschöpfft/ so hat Er uns erlöset:
Wie süsse Mutter-Milch sein Wort uns ein gestößet.
Noch stehen auffgesperret die Fenster seiner Gnadn/
Ob schon mit Sünden viel wir alle sind beladn.
Wann wir nur Busse thun/ so können wir bestehen/
Ja freudig und getrost dem Tod entgegen gehen.

Hievon ein schönes Werck Herr Staube mit be-
dacht
zu seines Schöpfers Preis frewillig hat gemacht.
Dis Werck ist rühmens wehrt/ es wird für andern al-
len/
Weiles uns muntert auff/ dem Höchsten wolgefallen.
Wol an! fahrt weiter fort/ **GOTT** gebe Glück
und Segen/
Woran in dieser Welt denn alles ist gelegen.

Gesetzt seinem wehrten
Freunde und Landsman zu
Ehren
von

JOHANNE VVILHELMO BERTRAM,
von Olzen aus
Lüneburg.

Er Herr

1


Er Herr STAUDE in den Zeiten
Grünet frischen Stunden gleich
Welche Izt an unsern Grenzen
Wieder werden Blätter-reich;
Wann Er öffentlich wil zeigen
Was uns kan zur Busse neigen.

2

Von der wahren Busse schreiben
Ist fürwar ein hohes Werck/
Doch hat er Sich lassen treiben
Durch des Geistes Krafft und Stärck/
Der Ihm auch wird Bahn berelten/
Und zur wahren Busse leiten.

Dieses setze seinem wolgeneigten
Freunde glückwünschend auff
Job: Christianus Neßband/
Wismariensis,







Woldem/ welcher hie sein Herz zur Bu
cket/
Und an die Gnaden-Thür des grossen G
dencket/

Der bengesprungen uns/ da wir im Blute l
Wie ein krafft-loses Kind/ das neulich in der
Die Lebens-Lufft geschöpfft/ so hat Er uns erlö
Wie süsse Mutter-Milch sein Wort uns ein gesä
Noch stehen auffgesperret die Fenster seiner
Ob schon mit Sünden viel wir alle sind bela
Wann wir nur Busse thun/ so können wir besteh
Ja freudig und getrost dem Tod entgegen gehen
Hievon ein schönes Werck Herr Staube

dach
zu seines Schöpfers Preis frenwillig hat g
Dis Werck ist rühmens wehrt/ es wird für an
len/
Weiles uns muntert auff/ dem Höchsten wolgef
Wol an! fahrt weiter fort/ **GOTT** geb
und Segen/
Woran in dieser Welt denn alles ist gelegen

Gesetzt seinem wehrten
Freunde und Landsman
Ehren
von

JOHANNE VVILHELMO BERT

von Olzen aus
Lüneburg.

